Quelle:
Copyright:



2. Fol. 75a – 95b

Nicolai Kempht de Argentina Alphabetum divini amoris.

Nicolai Kempht de Argentina Alphabetum divini amoris. In indice hujus codicis asseri anteriori inscripto vocatur: Tractatus divini amoris beati anshelmi; sed illius non esse mox patescet. Rubro colore praemittitur textus: Accedet homo ad cor altum &c. Praefationis initium est: "Ad honorem omnipotentis dei aliquos modos et vias pro elevacione mentis in deum propono conscribere." Primum capitulum, quod inscribitur de via inchoativa incipit: "a timore servili procedit filialis." Extat hoc opusculum inter opera Gersonii edit: Dupinii T. III. Col. 769, cui editor hoc inserit monitum: "Hoc opus non est Gersonii: citatur enim in eo Gerson non semel, nec stylum ejus sapit. Et aliunde hominis est, qui Religioni nomen dederat, ut colligitur ex capite tertio. Citat Regulam S. Benedicti Cap: 4. & 6." Haec Dupinius. Anselmi non esse, ex eadem ratione colligitur: citatur enim mox capite primo. Authorem vero Carthusianum fuisse satis clare docet operis epilogus, quem exscribere, cum ipsum Dupinium fugerit, non inane reputo. Est autem is: "Et quia per singula capitula prius scripta secundum ordinem alphabeti clausulas suas ponit, ut facilius retineri possint clausule in memoria, et quia ille liber est de amore dei, Ideo placuit ut vocetur alphabetarium divini amoris, et qui hoc legerit exoret pro ordine Carthusiensi, ex quorum fonte hec procedunt. Item exoret eciam pro omni ordine et statu tocius sancte matris ecclesie altissimum dominum, qui pro institucione ordinis Cartusiensium in solitudine degencium, Et pro dono hujus libelli sit nunc et sem,